

Q. N.
44,
38.

x 1877 MM

כתי כנסיות

SIVE DE

Π i
223

SYNAGOGIS

VETERUM EBRÆO- RUM

EXERCITATIO PHILOLO- GICA PRIMA,

Quam,

Christo Benedicente,

ad D. 19. Novembr: In Auditorio Minori

publicè ventilandam proponit

PRÆSES

M. CHRISTIANUS BORNITIUS

Wurzenfis

RESPONDENTE


DAVIDE SILLIGIO

Misenensi.

WITTEBERGÆ

Typis MICHAELIS Wendes

ÆRÆ DION: ANNO M DC L.



CORONÆ AMICORUM

*Elegantissime doctæ, pietatis virtutumq; cate-
rarum insignibus præstantissima*

DN. M. MARTINO MARTINI
DN. M. GEORGIO SYLMIO
DN. M. SAMUELI SEEFZ
DN. HEINRICO DASSOVIO,
Hamburgensibus,

*S.S. Theologis Cultoribus felicissimis,
Fautoribus unice dilectis,*

hanc primam de Synagogis veterum
Ebræorum Exercitationem

L M QUE offerre;

eademq; nusquam intermorituræ ami-
citiæ testem seligere voluit

AUTOR ET PRÆSES.



Instituta veterum Ebraeorum accurate cognoscere uti res jucunda admodum est, longeque, quod caput rei, utilissima: ita oppido difficilis atque ardua summo opere. Idem non solum sentient qui his elegantioribus literis primam dant operam, sed summi praeterea inque hac palaestra exercitatissimi viri. Neque communis illa rerum magistra, uti vulgo audit & recte quidem, Experientia refragabitur; quin potius nostram, tot suffragiis approbatam, sententiam & ipsa confirmabit luculentissime. Quot enim & ritus moresque, quot instituta quoque hujus antiquissimae gentis adeo obscura sunt, ut Oedipo saepius opus sit quam Davo simpliciori. Quoties in hoc literarum genere ingemiscendum est; etiam summis viris: *Quantum est quod nescimus*. Quod vero de rebus Ebraeorum in genere dicitur, illud omne de Synagogis jure enunciari potest. Adeo & manca & intricata praeterea est haec distincta Synagogarum cognitio, adeoque difficilis. Praecipue cum hic nullum habeat Ebraeorum antiquitatum studiosus vel tribunum vel magistrum equitum, quem sequatur ipse legionarius aut cataphractus miles. Sparsim quidem nonnulla leguntur apud Ebraicarum rerum conditores & *Sigonium* cum primis, sed concisa admodum, praetermissis quamplurimis, quae ad rem facere videbantur. Quo pacto apud *Sculterum* quoque nonnulla leguntur. Notum enim est & alia in N. Instrumento occurrentia Philologica Graeca modo laudatum auctorem exposuisse: & hanc de Synagogis Ebraeorum quoque materiam attigisse. Placuit nihilominus tamen hac vice (praecipue cum & alias quaedam ex Philologorum Scholis petita in forum literatorum producere animus esset) pro modulo ingenij tenuitateque, cujus & ipse probe conscius sum, de Synagogis, quae domi habebam privato studio collecta non solum in ordinem redigere, quae obscuriora erant ex Rabbini & Maimonide cum primis, eorundem principe, dilucidare, sed & sistere ventilatione publicae. Non unius rei quam liberalioris ex-

exercitij veritatisq; indagandæ causa, quæ mihi semper est eritque antiquissima. Quamobrem si in quamplurimis lapsus fuerim atq; à scopo meo, quem proposueram, aberraverim, æ qui eruditiq; pariter censes illud haud quaquam vitio vertent, spero, cum & nemo mortalium sit, qui non erret, & in aviis, ubi vestigia minus trita, declinare alias adeo non sit infrequens imo valde usitatum. Sed ad rem. Tu vero DEUS Pater annue cœptis nostris clementissime propter filium tuum J. Chr. Amen.

I. Vox Græca *Συναγωγή* ut varias ita diversas admodum habet significationes. Potiores ordine recensebo, quæq; hic locum habeat, perspicuè sum declaraturus, (1) *Συναγωγή*, si ipsa notatio, ut cum Tullio loquar, attendatur, generale vocabulum est, & quamvis congregationem denotat. Unde *Συναγωγή γάλακτος* apud *Alex. Aphrod.* pro lactis copia; *Συναγωγή πολέμου* apud *Thucyd.* pro collectione eorum, quæ ad bellum pertinent, usurpatur. In *Græca LXXII. Int: versione* (an hodie sit genuina nō disputo) similia, exempla deprehenduntur. Aquæ *Gen. I. 9.* congregatæ leguntur in unam *Συναγωγήν*. *Συναγωγή λίθων & ὕδατος* apud *Jobum* (c. 8. v. 17.) *Esaiam* (c. 19, 16. 37, 25.) & alibi reperitur. In *Psalms* (Ps. 67, 33.) & penes *Siracidem* (c. 31, 3.) *Συναγωγή χειμάτων* occurrit. (2.) Pro hominum promiscua multitudine accipitur. Quo pacto *Jeremias* (c. 50, 9.) prædixit fore, ut adversus Babylonem *Συναγωγή ἐθνῶν* adducantur. Conferatur *Ezechiel* (c. 26, 7.) & *Sophonias* quoque (c. 3. v. 7.). Similiter *Συναγωγή πονηρομένων* (Ps. 21, 7.) ἀμαρτολῶν (Sir. 16, 7.) γιγάντων (Prov. 21, 16.) imo alibi hoc ipsum vocabulum ea in significatione obvium est. (3.) *Universus populus Israeliticus* nomine *Συναγωγῆς* indigitatur, diciturq; vel *πᾶσα Συναγωγή τῶν υἱῶν* *1 Chron. 12, 47. 16, 1, 2, 9. c. 35, 19. Lev. 4, 13. c. 19. 2. &c.* vel *Συναγωγή τῶν υἱῶν* *1 Chron. 12, 19.* & aliis locis, vel simpliciter *Συναγωγή* *Lev. 8, 4. Num. 14, 27, 35, 36. c. 20, 2, 11. c. 31, 26.* Unde ἀρχοντες πατριῶν τῆς *Συναγωγῆς* c. 32, 2. *Jos. 9, 15, 18. c. 22, 30. &c.* Et Ecclesia Israelitica interdum Synagoga nuncupatur. Æque enim late patebat antiquissimis quidē temporibus populus Israeliticus, veri q; DEI, quæ inter Israelitas colligebatur, Ecclesia. Huc non incommode referri potest, quod & pro tribu *LXXII.* Interpr. accipiant.

cipiant. Legimus enim in modo adducta versione Rehabeamum
 (1. Reg. 12, 12.) congregasse *πασαν την συναγωγην Ισραηλ*; Ubi in
 Ebraeo *סניגד* à Spir. Sancto usurpatum. (4.) Designatur hac voce
conventus Ebraorum particularis, sive rerum politicarum, ut pacis
 conciliandæ 1. Macc. 7. alibi, vel sacrarum causa institutus. Il-
 lustre exemplum Act. 13, 43. occurrit: *λυθείσης ἡ τῆς συναγωγῆς*
 (Vide *Flacium Clavi & Salmeronem* T. XII. tr. 37. p. 251.) ut sicco pe-
 de alia præteream. Quemadmodum in perquam multis N. In-
 strum. locis perinde est, sive locus, in quo conveniebant, sive cœtus
 ipse intelligatur. 5. *συναγωγή* ipsum ædificium notat, in quo par-
 ticularis iste cœtus congregabatur auditurus prælectionem Mo-
 sis & Prophetarum. *Μωσῆς γὰρ ἐκ γενεῶν δευκαίων καὶ πόλιν τῆς*
κηρύσσοντας αὐτὸν ἔχει ἐν ταῖς συναγωγαῖς Act. 15, 21. Imo clarius
Luc. 7, 5. Centurio enim & Judæos diligebat & Synagogam ædifica-
 verat iisdem. Quo & Ebraicus Matthæi interpretes (laudatus à *Kir-*
stenio notis in Matthæi versionem Arabicam p. 16. 62. & 107.) re-
 spexisse videtur, cap. enim IV. v. 23. c. 13, 54. c. 23, 6. domos Syna-
 gogarum reddidit, cum tamen in fonte *συναγωγή* iis locis solum-
 modo deprehendatur. *συναγωγή* igitur pro ipso ædificio usurpa-
 tur, non aliter quidem ac *ἐκκλησία* tam pro convocato cœtu,
 quam pro loco, in quo cœtus ille cogebatur, apud profanos (*Lu-*
cianum, Demosthenem) non solum sed & Ecclesiasticos (*Eusebium*
 l. 3. de vita Constant: *August:* l. 2. de civ. DEI) scriptores accipitur.
 (6.) deniq; *συναγωγή* pro cœtu Christianorum. In N. Instr. quidem
Jacob. 2, 2. conferatur locus *Hebr. 10, 25.* ubi vocabulū *συναγωγή*
 ab Apostolo usurpatum legitur. Adeo ut minus firma sint, quæ
 apud *Augustinum in Psalmos* (qui tamen excusari potest) *Bellarmini*
 (l. 3. de Ecclesia militante c. 1.) *Catech. Trident.* (p. 111.) *Bar-*
radium (T. 2. Harm. l. 5. p. 296.) (quibus & *Salmeron.* (T. XIII. in Ep.
 Pauli p. 171.) nec non *Torniellus* Ann. Sacris ad Ann. M. 2594.
 f. 397. adiungi possunt) aliosq; leguntur, videlicet *hoc ipsum voca-*
bulum semper de Ecclesia Judaica nunq. Christianorum dici. Con-
 trarium observarunt non solum Venerandi nostrates Theologi,
Magnus Chemnitius L. Theol. P. 3. L. de Eccl. p. 123. *Incomp. Gerhardus*
 51 L. L. C. T. V. de Eccl. p. 210. P. I. Harmon: contin: p. 32. p. 1031.

P. III. p. 991. *Brochmandus* T. 2. L. de Eccl. p. 667. & eruditissimo in Jacobi Epistolam commentario p. 94, 95; sed & ex *Calvinianis Parisus, Piscator, Interpretes Belgici, Alstedius* cum primis supplem. T. 4. Controv. Chamieri p. 54. *Vedelius* in Opusculis Theolog: disp. 41. p. 102. *Casaubonus* Ex. XVI. p. 538. *Grocius* ad Matth. C. IV. *Sixtinus Amama* l. 3. Antib. Bibl. p. 810. aliq; accuratissimi & eruditissimi viri.

Neq; solum in N. T. cœtus Christianorum Synagoga dicitur, sed & Ecclesiasticis hoc nomen non adeo ignotum fuit scriptoribus. *Ignatius* Ep. 1. $\chi\omega\rho\epsilon\iota\varsigma\ \pi\epsilon\varsigma\ \beta\upsilon\tau\epsilon\tau\omega\upsilon\ \epsilon\pi\kappa\lambda\eta\tau\iota\alpha\ \kappa\alpha\iota\ \epsilon\sigma\tau\iota\ \delta\epsilon\ \kappa\upsilon\upsilon\alpha\delta\theta\epsilon\iota\varsigma\ \mu\alpha\delta\gamma\omega\upsilon\ \&\ \kappa\upsilon\upsilon\alpha\gamma\omega\gamma\eta\ \sigma\iota\tau\omega\upsilon$. Imo hæreticos conventus suos Synagogas nuncupare solitos, præpositosq; ArchiSynagogos ab iisdem dictos fuisse *Epiphanius* autor est. Qua de causa factum, ut discriminis ergo orthodoxi Christiani $\kappa\upsilon\upsilon\alpha\delta\theta\epsilon\iota\varsigma$ nomine insignirentur.

II. Græciam lustravimus. Iter recta Orientem versus instituendum. In Palæstinam tendimus nō navibus, nec vehiculis, sed cogitationibus. Hæc lustrabim; ditissimā regionē, ut inde aliquid mercium ad nos deportetur. Absq; periculo quidem aut metu, sine navulo, vectigali temporisq; dispendio. Nec res successu carebit. Duo autem apud Ebræos sunt præ reliquis notiora vocabula, quæ respondent voci $\kappa\upsilon\upsilon\alpha\gamma\omega\gamma\eta$ ejusdemq; significationibus nonnullis, si LXXII. Interpr. ductum sequamur. Unum $\kappa\upsilon\upsilon\alpha\gamma\omega\gamma\eta$ dicitur, $\kappa\upsilon\upsilon\alpha\gamma\omega\gamma\eta$ alterum. Licet & $\kappa\upsilon\upsilon\alpha\gamma\omega\gamma\eta$, si vim vocis attendamus, pro quavis cœtus congregatione accipiatur: $\kappa\upsilon\upsilon\alpha\gamma\omega\gamma\eta$ pro cœtu vero, qui certo tempore congregatur. Quæ assertio non tam mea est, quam *Chemnitij* (L. Comm. T. de Eccl. l. c.) *Gerhardi* (L. C. T. V. p. 212.) *Reverendissimi Dn. D. Welleri Patroni mei maximi* (in Psalm. I. p. 44.) *Kircheri* (Concord. V. Test: P. I. f. 1840.) aliorumq; eruditissimorum virorum. Non desunt tamen & alia vocabula Ebræa, quin multo plurima adduci possunt, quæ voce $\kappa\upsilon\upsilon\alpha\gamma\omega\gamma\eta$ à LXXII. Interpr. reddita leguntur. Catalogum breviter prætexere placet. Sunt autem $\kappa\upsilon\upsilon\alpha\gamma\omega\gamma\eta$ Soph. 3, 8. conf. Ex. 34, 22. $\kappa\upsilon\upsilon\alpha\gamma\omega\gamma\eta$ 1. Reg. 12, 21. $\kappa\upsilon\upsilon\alpha\gamma\omega\gamma\eta$ Job. 8, 17. $\kappa\upsilon\upsilon\alpha\gamma\omega\gamma\eta$ Ez. 37, 10. $\kappa\upsilon\upsilon\alpha\gamma\omega\gamma\eta$ Jer. 31, 4. $\kappa\upsilon\upsilon\alpha\gamma\omega\gamma\eta$ Es. 19, 6. 37, 25. $\kappa\upsilon\upsilon\alpha\gamma\omega\gamma\eta$ Psalm. 16, 5. $\kappa\upsilon\upsilon\alpha\gamma\omega\gamma\eta$

מקור Es. 56, 8. נקבע Lev. 10, 3. עם Jos. 20, 4. עיר Jer. 6, 11. סור Lev. 11, 6. Zach. 9, 12. מקום Gen. 1, 9. קיר Es. 22, 6. מסכן Num. 16, 24. &c.

Chaldæi utuntur quoq; certis vocibus, nec non *Syri*, *Ambes* ipsiq; *Ebraeorum magistri*, quæ quodammodo cum Græco nomine *Κοινωνία* conveniunt, ejusq; si non omnibus præcipuis tamen significationibus. Chaldaice & ערה & כנישה vel כנישתא & רגשא aut אתרנושא coetus populique congregatio dicitur. קהלה præterea coetus iisdem est maxime est sacra collectio. imo & ipse locus, in quo populus cõgregatur CL. Buxtorfio (Lex. Chal. T. f. 1983.) confirmante. Talmudici & ex parte Magistri usu recurrunt non solum cum Chaldæis communia quædam vocabula, sed & nonnulla, peculiariter ferme, introduxerunt. Communia vero קהלה, כנישתא, אוכלוסא, סיעא, כה quæ nõ incognita sunt & Chaldæis & Talmudicis omniaq; coetum turbam aut catervam designant. Deinde, Talmudici cum primis, aliis gaudent nominibus, quæ ejusdem sunt significationis. Quo sensu ועור & ועור, אסתלגנית nec non קולר usurparunt. Discimus quoq; ex Baal Aruch f. 79. per כינושיא coetum cum primis solemnem indicari. כרם præterea apud Talmudicos pro Schola & Synagoga sæpius occurrit, quia ibi lineatim sedeant, uti vites plantantur. (De quo more Maitzoides consuli potest in Jad. T. 1. L. 2. ובר' הפל' ובר' cap. quidem 11. §. 4.) צבור & צבורא (unde צורנין plur:) coetum, Ecclesiam, cõgregationem denotat, & hac in significatione apud Talmud. & Rabbinos non infrequens est hoc ipsum vocabulum. Usitatissimum tamen est præ cæteris apud eosdem בית הכנסת (vel כנישתא Bava Barhra f. 8.) ipsumq; ædificium designat, in quo Judæi religionis causa conveniant. De quo pauca ex Maimonide referam, quippe quod ad scopum nostrum cum primis faciant. Sic autem ille in Jad. T. 1. L. 2. in אזהרה וברכ' חל' הפל' c. 11. ab initio: כל מקום שיש בו עשרה מישראל צריך להכין לו בית שיוכנסו בו לתפלה: In omni loco, ubi sunt X ex Israel (cur X? quia tradunt Talmudici עה coetum esse debere ad minimum X hominum, probantq; ex Num. 14. v. 27. Verba sunt in Misna Sanhedr. c. 1. §. 6: זמנין לערה שהיה עש

עשרה שנאמר וערמתי לעדה הרע הזאת וצאו יהושע וכלב
 Ideoque Judæi putant שכונה presentem esse, cum X in domo
 congregationis reperiantur. Vide Baal Hattur. ad Exod. 20. c. v. 24.
 Si quatuor tamen coetus excipias. Id n. ex Sota f. 42. i. constat: ארבע
 כתות אין מקבלין פני שכונה כת הלצים וכת הניפיוסוכת, שקרים
 : Quatuor coetus non sunt digni maje-
 state divina, derisorum, hypocritarum, mendacium & calumniato-
 rum) *necesse est parare domum, in qua se congregent propter preces
 omni precu tempore, locus autem iste domus congregationis vocatur.*
 Non dissimilia Rabbi D. Kimchi libro Rad. in Rad. כנס
 קראו למקום ביתיהתפלה הבית הכנסת לפי שנאספים שם
 לתפלה. Sed satis de hac voce ועד ejusdem significationis est
 quã sæpissime, uti ex Sota c. ultimo Sanhedr. f. 97. aliisq; Talmud.
 locis manifesto evincitur. Neq; in commode forsan Synagoga
 הרבוצא dici poterit (cõsulatur Buxt. Lex. Chal. Talm. f. 2196.) ideo
 שמרביצין בו את התורה *quia ibi legem DEI doceant.* De qua re
 tamen infra fufius agemus.

Syri suum כנפא habent, quod congregationem, turbam
 notat. Unde כנפא & כנפא pro Συναγωγῆ Act.
 26, 11. Marc 5, 35, 36, 38. imo passim in Nov. Test. Syriaco, &
 כנפא pro ædificio Luc. 7, 5. usurpatur. כנפא pro
 coetu Act. 20, 13. sumitur, כנפא vero sæpissime eod: m sensu in
 Paraphr. Syriaca adhibetur.

Nunc ex Arabum locupletissimo penu nonnulla afferre placet
 vulgaria tamen, notiora & forte occurrentia. כנפא coetum &
 congregationem denotat, si CL. Erpenij ductum (notis ad Histo-
 riam Josephi Arabicam n. 44.) sequamur. Eadem vis est vocis
 עצבה Neq; dissimilis Arabicæ عير (vide ejusd. Erpenij notas l.
 e. n. 83.) סחפל concilium, Synodum, Synagogam, קאפלה v. &
 סכארה coetum cum primis hominum exprimunt iter una facien-
 tium (Erpen. l. c. n. 13.) כניסה pro domo Synagogæ in versione
 N. T.

N.T. Arabica Luc. 7, 5. usurpatur. **ביעה** coetum fidelium cumprimis refert, quo pacto & Ps. 39. v. 12. in Psalt: Savariano occurrit. **קהל** quoq; loco Ebr. **קהל** substituitur in versione Pentateuchi Arabica Mauritan: Judaorum, Gen. 28, 3. c. 48, 4. Num. 16, 33. c. 19, 20. c. 20, 6, 10, 12. c. 22, 4. & alibi. **לג** & **גמל** similiter coetum significant. Quo sensu cumprimis **עדה** & **עדה** obvia sunt. Nec discrepant **עדה** & **עדה** cognata quippe & origine & significatione vocabula. Communis vero eorum radix **עדה** colligere, congregare in Pent: Num. X, 10. & c. Psalt: Arabico Pl. 146. nec non *Qomno* (adi CL. Erpenij notas l. c. n. 15. & 102.) frequentissime usurpatur. Imo & Persæ hoc verbum suum esse voluerunt, adeoque, ut & alia multa Arabica, civitate donarunt, quod ex *Tawusij*, vel *Tusij* potius, *Persica Pentateuchi translatione*, & prioribus duobus Geneleos cap. cumprimis (integram enim videre non licuit) Rudimentis ejusdem linguæ (a CL. Ludovico de Dieu publicatis solummodo; auctor enim *Elichmannus* fuit, uti CL. *Ravius Paneg: 1. linguar: Oriental: p. 12.* testatur) annexis demonstrari potest. **עדה** certè, de qua voce paulo ante, pro **קהל** & **קהל** legitur in saepe laudata versione. Pro **קהל** Ex. 12, 6, 47. c. 16, 2, 9. c. 17, 1. Lev. 4, 13. Num. 20, 22. & c. Pro **קהל** vero Gen. 49, 6. Num: 10, 7. sic Psal. 22, 23. juxta Arabicam versionem & alibi.

III. Vidimus hætenus varias vocis *συναγωγῆς* significationes. Vidimus præterea quibus nominibus cæteri Orientales utantur, hoc ut ipsi exprimant vocabulum. Nunc testat ut evolutis nominibus ad rem propius accedamus. Ambiguitas prius tollenda est errorum genitrix. Quæ vocis significatio huc quadret, nostroq; instituto sit accommoda, perspiciendum. Quinta v. in ordine occurrit & cumprimis huc spectat; quam retinebimus quoque missis cæteris. Synagoga igitur hic non pro coetu, qualiscunq; demum ille sit, sed edificatio accipitur, sacris usibus, prælectioni Mosis nec non Prophetarum precibusq; destinato. Quæ ratione Chaldaice **קהל** Syriace **ܩܗܠܐ** Arabice vero **كنيسة** dici potest. Talmudici denique & Magistri in primis **בית הכנסת** appellant. Ejusmodi Synagogas quamplurimas apud Judæos extitisse certum plane est atque indubitatum. Erant autem *edificia* (α) *ubi Judæi* (β) *ex instituto* (γ) *conveniebant diebus*

B

certis

certis (δ) legis percipiendæ (ε) & precum caussa. Quæ verba uti brevissima sunt, ita singula fusius & accurate sunt explicanda. Hic enim scopus noster, hæc meta.

VI. (α) *Ædificia* fuisse constat. Neq; sub dio hic, sed unam in domum congressi leguntur Judæi. Proinde & ביתי כנסיות à Magistris nuncupantur. De horum ædificiorum structura cum uberrimus sese offerat agendi campus, nec non de partibus ipsis quoq; (de quibus in Jad T. 1. l. 2. תפלי' ובר' passim) consulto tamē ea omnia prætermittimus, ne nimium pagellæ excrescant, imo ideo, quia rerū magis necessariarum ratio habenda est. Sufficit hac vice indicasse, quibus in locis talia ædificia exstructa fuerint. Quæ & Hierosolymis erant quā plurima, reliquisq; Judææ in civitatibus, imo & exteræ regiones superbiebant iisdē. Hierosolymis nō unam ejusmodi Synagogam sed multo plures fuisse Christi temporibus adeo controversum non est, cum illud, si alia testimonia deessent, ex Act. c. XXIV, 12. evincatur. Recte Calvinus (in Actor. Apost. Cap. XXIV. v. 12.) ait: *Per varia urbis loca dispositæ erant Synagoga, in quibus conventus suos agerent.* Quem ex Pontificiis Cornelius à Lapide in c. 6. Act. p. 134. 135. Sanctius comm. in eund. l. p. 134. aliq; sequuntur. Imo numerus Synagogarum Jerosolymitanarum ex antiq; Judaicis erui potest. Qua de caussa factum, ut Incomp. Gerhardus (Harm. p. 3. p. 991.) Schindlerus (Lexico f. 1002. Sigonius (l. 2. de Rep. Hebr. c. 8.) Scultetus (l. 2. Exerc. Evang. p. 40.) Genebrardus l. 2. Chronol. Toletus in Joh. Tornielus in Ann. Sacris f. 398. communē Ebræorum mentem esse affirmant, CCCCLXXX. Synagogas (in Gerhardi Harmonia 437. vitio typographorum, & non ab simile mendum in Schindleri Lexico, ubi 1480, occurrit) ante ultimam everisionem in urbe Sancta numeratas fuisse. Quæ oppido veritati congrua sunt, si ipsos magistros aut Talmudicos consulamus. Rabbi Salomo Jarchi Campensis Gallus, magnæ apud Ebræos auctoritatis ut ושא cognomentum retulerit (verba sunt Waseri de nummis Ebræorum l. 1. c. 1. p. 2. Vide de eodem cum primis Schick. פ"ב p. 170. 171.) non contrarius est, sed hanc, quam enarravimus, sententiam luculenter confirmat, dum ad Es. cap. 1. hunc

מצונו בפסיקתא רבי מנחם: בר אושעיה אמר ארבע מאות ושמונים בתי כנסיות
 היו בירושלם כמנין מלאתי בנימטרויא *Invenimus in Pesikta*
 (comm. in Tres posteriores Mosis libros, juxta *Sixtum Senensem*
Bibl. S.p.m. 393. aut in Leviticum tantum, *Buxtorff. Bibl. Rabb.* p. 397.
 similia autem ex eodem libro citat *Jalkut. in Danielelem*) *Rabbi Me-*
nazchem filius Vschaiia (nam & alij fuerunt quamplurimi ejusdem
 nominis. Vide *Buxtorff. Bibl. Rabb.* passim, & obiter conferatur
Drusius L.V. Præter. p. 179.) dixit: CCCCLXXX. *Synagoga fuerunt*
Hierosolymis secundum dictionis numerum מלאתי (apud *Esaiam* l.c.
 v. 21. quæ dictio tamen 481. complectitur. Sæpe enim fit ut nume-
 rus aliquis vel redundet aut desideretur. Chaskuni ad *Gen. c. XI.*
 v. 1. notat ארת ששה per Gematriam esse לשון הקודש, cum ta-
 men in numero uno non conveniant. Vide *Buxt: de abbrev:* p. 64.)
 per Gematriam (in *Aruch.* nec non *Lex. Buxt: Chald. Talm.* scribitur
 גמטריא, quæ est prima Cabbalæ species. De qua *Buxtorff. Bibl.*
Rabb. p. 62. seqq. *Lexico Chald. Talmud.* f. 446, *Schickardus* כה
 p. 62, 63, 76, *Reuchlinus* de arte Cabbalistica, *Gerson.* conversus Ju-
 dæus in *Talmud Judæorum*, *Elias Levita* licet brevissimis in *Tisbi*,
Dn. D. Mullerus *Judaismo* & celeberr. *Theol. Dn. D. Glassius* *Phil. S.*
l. 2. p. 1. tr. 2. sect. 3. p. 391. alijs.) Huc usq; *Raschi.* Neq; antiquiores
 Talmudici dissentiant. Sic enim *Gemara Hierosolymitana* ad titulum
Megilla c. 3. ארבע מאות ושמונים בתי כנסיות היו בירושלם.
 Et alibi non dissimilia admodum in eadem *Gemara ad tit:*
Cethuboth c. 13. reperiuntur, nisi quod numerus variet pro
 שמונים נ. ששים five LX. leguntur. Videatur *CL. Seldenus* pro-
 leg. eruditissimi *de succession. libri* p. 43. seqq. Quin & septem Syn-
 agogas in monte Sion fuisse Hierosolymis, nescio ex qua tradi-
 tione aut fama docet *Optatus aser Millevitanus Episcopus lib. 3. ad-*
versus Parmenianum & ex eo *Job. Pineda l. de rebus Salom. 3. c. 28.*
p. m. 200. Quod ideo nimium verisimile videtur, cum & alias Syna-
 gogæ altis in locis ædificari debeant juxta magistrorum effatum.
Maim: T. 1. l. 2. citato כה וברי הפל' ובר' כה c. II. §. 2. כשבנים
 בית הכנסת אין בונים אותה אלא בגבהה של העיר
 שנאמר בראש הומוות תקרא. ומגביהין אותה עד שתהא
 גבוהה

נבונה מכל הרצות העיר שנאמר ולרום את בית
 Et cum adificant Synagogam, non debent eam adificare, nisi ubi: ונהר
 urbs elevatur (in excelsis urbis) quia dictum est: (Prov. 1.21.) in ver-
 tice tumultuantium clamabit. Et tam alte debent adificare eam, ut al-
 tior sit omnibus urbis palatiis, quia dictum est (Eccl. 9,9.) ad exaltandum
 domum DEI nostri. Legi quoque potest Franciscus Junius T. 1. operum
 lib. de Academia peculiari cap. 2. Sed hæc Hierosolymitanis Syn-
 agogis sufficient. In reliquis quoque Palæstinæ civitatibus Synagogæ
 reperiebantur. Quod uti supra asserui, ita exemplis, sed paucissimis,
 demonstrabo. Christus (Matth. c. 4. 23.) dicitur ἀδασίων ἐν ταῖς
 συναγωγαῖς αὐτῶν ἰσ: Galilæorum. Idem Nazarethi in Synagoga
 (Luc. 4, 16.) docet. Imo in exteris regionibus Judæi proprias ha-
 buerunt Synagogas. Gens enim iis temporibus dispersa admodum
 erat, quod Philo Judæus docet eruditissimo, quæ de legatione ad
 Cæium scripsit, libro his quidem verbis, ubi (p. m. 798.) Agrippæ
 Epistolam recenset: ἐμὴ μὲν εἰσι πατεῖς μητροπόλεις ἡ ἑμίας χώ-
 ρας Ἰσραήλ, ἀλλὰ καὶ τῶν πλείων ἀπὸ τῆς ἀποικίας, ἃς ἐξέπε-
 μψεν εἰσι καιρῶν, εἰς μὲν τὰς οὐράς Αἴγυπτος, Φοινίκην, Συρίαν τὴν τε
 αἰλίαν καὶ τὴν κοίλην περὶ Καρχαρουμένην, εἰς ἧς πόρρω διακισμένας,
 Παμφυλίαν, Κυλικίαν, τὰ πολλὰ τῆς Ἀσίας ἄχρι Βοθυνίας, καὶ τῶν
 τῆς Ποντοῦ μυχῶν τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ εἰς Ευρώπην, Θησαλίαν,
 Βοιωτίαν, Μακεδονίαν, Λιτωλίαν, τὴν Ἀττικὴν, Ἀργὸς, Κόρινθον, τὰ
 πλείστα καὶ ἄριστα Πελοποννήσου, καὶ ἑμὸν αἰ ἠπειρομισσὶ τῶν
 Ἰσραηλίων ἀποικίων εἰσιν, ἀλλὰ καὶ νήσων &c. καὶ σιωπῶ τὰς πέρας
 Ευφράτης. Πᾶσαι γὰρ ἐξω μέγας Βερχέου βασιλευῖνος καὶ τῶν
 ἄλλων σατραπειῶν, αἱ δευτέρωθεν ἔχουσι τὴν ἐν κύκλω γῆν, Ἰσραήλ
 ἔχουσι οἰκήτορας &c. vide mox subsequencia, quæq; p. m. 791. nec
 non libro in Flaccum p. 782. adducit. Plura de ea re dici possent,
 quæ apud Job. Baptist. Villalpandum (Apparatu Urbis & templi
 p. 1. l. 2. p. 119.) Sigonium (l. 7. de Rep. Hebr. c. 15.) & summum Theo-
 logum Dn. D. Dorscheum (Synopsis Theol. Zachar. p. 36. seqq.) le-
 guntur, sed consulto ea omisimus. Uti igitur Judæi dispersi erant:
 ita & certa habebant loca, in quibus religionis cultusque divini
 causa conventus instituerent. Quæ Synagogæ dicebantur. Pro-
 inde de Synagogis Asiæ, quas Paulus & gentium & Judæorum
 doctor

doctor adit, Acta loquuntur. Neq; Philo repugnat libro citato
 p. 801: τὸ μὲν γὰρ πρῶτον ἀπέσειλε τοῖς ἑπιτρόποις τῶν κτ' τὴν Ἀσίαν
 ἑπιτροπιῶν πυθόμενον ὀλιγορείθαι τὰς ἱερὰς ἀπαρχὰς, ἵνα ἑπι-
 τρέπωσι τοῖς Ἰουδαίοις μόνον εἰς τὰ συναγωγία συνέρχεσθαι. C. Nor-
 banus Flaccus proconsul Epistola apud eundem Philonem:
 Καίσαρ μοι ἔγραψεν Ἰουδαίους ἃ ἂν ὦσιν, ἰδίῳ δεχαίῳ ἐθισμῶ νο-
 μίζειν συναγμένους &c. In ipsa tunc temporis totius orbis terra-
 rum metropoli Roma, Ἰπποκρίτης ἴσως τῆς οἰκισμένης, (quemadmo-
 dum *Athenaeus* appellat (L. I. p. 20.) & *Galenus* ferme à *Casaubono* in-
 notis ad *Athen.* (p. 51.) adductus.) Judaei libere vivebant & non
 sine Synagogis. Hæc enim sunt Philonis (l. cit. p. 785.) verba, di-
 gna sane ut & hic adducantur: Πῶς ἔν ἀπεδέχετο τὴν πέραν τῆς
 Τιβέρεως ποταμῶ, μεγάλην τῆς Ῥώμης ἀπότομήν, ἣν ὅσα ἠγώμικα τ-
 εχομένην καὶ οἰκισμένην πρὸς Ἰουδαίῳ Ῥωμαῖοι ᾗ ἦσαν οἱ πλείους ἀπε-
 λδοθερωθέντες· αἰχμαάλωτοι γὰρ ἀχθέντες εἰς Ἰταλίαν ἐπὶ τῶν κτη-
 σαμένων ἠλδοθερώθησαν, ἃ δὲ τῶν πατρῶν ὠδρα χαράζαι βια-
 θέντες· ἠπίσταντο ἔν καὶ πρὸς σευ χάρις ἔχοντας καὶ συνίοντας εἰς αὐτὰς
 καὶ μάλιστα ταῖς ἱερῶς ἐβδόμασις, ὅτε δημοσίᾳ τὴν πατρῶν παί-
 δοντα φιλοσοφίαν &c. Ubi probe notandum, quod ἀπελδοθερω-
 θέντων mentio fiat. Facit enim ad nostrū institutum, & egregie lo-
 cum Act. 6, 9. illustrat. Legitur ibidem quosdam cum Stephano
 disputasse ἐκ τῆς συναγωγῆς τῆς λεγομένης Λιβερτινῶν. Qui vero
 sint ij Libertini in varias sententias itum est. *Franciscus Junius* (in
 c. 8. Gen. & in h. l. nec non fusius libro peculiari de Academia c. 2.
 T. I. operum) explicat Libertinos quasi ad Synagogam Ægyptiam
 pertinentes; ideo ab eruditissimo *Fullero* (L. 2. Misc. Sacr. c. 1.)
 refutatus. *Suidas* non plane dissentit inquiens: Λιβερτινοὶ ὄνομα
 ἔθους. *Oecumenius*, *Gagneius*, *Hugo*, *Lyranus* ex Lybia hos Liberti-
 nos censent fuisse oriundos. Unde & nonnulli sunt, qui suspi-
 cantur corrupte legi *Libertinorum* pro *Libyrtinorum* vel potius *Li-
 bystinorum*, qui inter Cyreniacam & Ægyptum habitabant. Verum
 coacta sunt omnia & minus firma, quippe in curiosis hominum
 cerebellis nata. Utenim inverso procedam ordine singula refu-
 taturus. Obstat i. constans Codd. Græcor: authentic:, & Latino-
 rum lectio. A qua non temere recedendum. Neq; placet audacia

quorundam Criticorum, qui, dum nimium sapere volunt, loca S. S. pro lubitu suspecta reddere allaborant. 2. Nulla cogit necessitas, ut hic nescio quos Africanos homines fingam. Libertinus Latinum vocabulum est. Quid notet vel pueri sciunt. Nec mirum ejusmodi Romanam dictionem in Græcis N. Instr. Codd. occurrere. Sic enim sæpe S. S. stylum attemperavit ut Latinas voces in N. T. usurparet. Exempla, hujus rei non pauca sunt, sed quamplurima adducuntur ab Excell. *Glassio* L. I. tr. 4. s. 2. p. 303. *Sculteto* (L. 2. Ex. Ev. p. 52.) *Maiero* p. 2. *Phil. S.* p. 251. seqq. *Salmerone* (T. XII. p. 54.) aliisque. Huc *Syrus* respexit, qui retinuit hanc Romanam vocem. Cujus & Arabs quoque legit vestigia: לִבְרִיטִינִים מִמֶּנֶם 3. *Philo* l. c. totam hanc controversiam dirimere videtur, cum dicit trans Tiberim magnam urbis partem à Judæis, maxime Libertinis, coli, quos ἀπελευθερωμένους vocat. Hi ergo Libertini, quemadmodum Romæ suas habebant Synagogas, ita in urbe sancta locum, in quo religionis causa confluebant. Constat enim libere juxta ritos patrics vixisse Judæos, qui Romæ domicilia habebant, (Lege *Philonem* l. c. & *Seld.* Prolegom: de success. p. 24. seqq.) & hos proinde Libertinos quoque utpote Judæos. Ut opus non sit vel Africanos homines fingere, quibus à regione hoc nomen inditum, aut statuere *libertinos ex Jure Ebraico ita dictos b. l. intelligi.* Quo ferme (*CL. Seldenus* L. 2. c. 5. de Jure N. & Gent: f. 174. seqq.) inclinatur. Quam tamen sententiam in conflictu forte uberius examinabimus (4.) Quod *Suidam* spectat (1) petimus, ut ostendatur gens quæ hoc nomine insignita. Apud *Stephanum de urbibus* & alios talium rerum conditores altum de ea re silentium. Somnium proinde est vigilantis *Suidæ*, præterea nihil. 2. Eidem scriptori in omnibus fides non temere adhibenda. Plura bona habet *Suidas*, sed & non pauca falsa. Præcipue cum antiquissimè adeo non sit, si *Casaubono* credamus (Ex. 1. contra *Baron.*) qui eum ante IC. annos floruisse affirmat. Quem *Gerardus Joann. Vossius* sequitur anceps tamè & dubius quodammodo (L. 2. de Hist: Græcis c. 26.) *Genebrardus* tamen octavo seculo vixisse hunc auctorem affirmat. (Quamquam *Politianus* nullum unquam fuisse *Suidam* acriter contendat.) Sunt quoque nonnulli qui longè anti-
quior-

quiorem esse hunc Lexicographum arbitrantur. Videatur cum-
 primis *Posselinus* in Apparatu Sacro p. 437. 3. Quicquid demum sit
 alibi cumprimis in origine Latinarum vocum *Suidas* hallucina-
 tus est. Egregium hujus rei testimonium apud *Casaubonum* (Ex.
 XVI. n. X. f. 453.) videre est, ubi census eidem est nescio quod mo-
 netæ genus. Verumq; plane est, quod modo adductus eruditissi-
 mus auctor affirmat, *Græcos Grammaticos, cum Romanae cujusdam*
vocis proprietates non intelligant more suo ad nugas confugere solere.
 Etymologia ergo hæc ex eodem petita olenticeto. (4) cum igitur
 sit Latina vox ex Romano quoque idiomate debet explicari. Recte
Calvinus in h. l. *Probabile est civium Romanorum libertos suis sumpti-*
bus extrui curasse Synagogam, quæ peculiaris Judæis esset qui &c. Nec
 dissentiunt *Drusius* p. 2. annot. ad *N. T.* p. 153. *Valla, Cornel. à Lapide*
 p. 134. & *Sanctius* in h. l. p. 134. *Salmeron.* T. XII. tr. 23. p. 147. *Cajetan*
 & *Lorinus* in h. l. ex antiquior; v. *Beda* & disertissimus *Chrysostronus*
 hom. XV. in Acta, qui præ reliquis adducendus. Hæc de Libertinis.
 Sic satis, ut puto, evictum est Synagogas Judæicas in medio genti-
 lium exstructas fuisse. Iisdem recutiti & hodie gaudent privile-
 giis. *Scultetus* (L. 2. Ex. p. 40.) memorat apud *Theffalonicenses*
 LXXX. Synagogas numerari. *Tudelensis Benjamin*, illud *Ἰσραὴλινὸν*
κείμενον (vide *Casaub:* notis ad *Athen:* p. 30.) 28. Synagogas Bagdadi
 suis temporibus floruisse testatur (*Itinerar:* p. 75, aliarum mentio-
 nem facit p. 77. 78.) si modo credendum (*Constant: L. Empereur.*
pref. in Beniam:) fabulosissimo sapientiori scriptori. Sed ad alia prope-
 randum. Nec opus demonstrare, cum satis apertum sit, Judæis in
 remotioribus oris non solum usum Synagogarum concedi hodie,
 sed & in meditullio ferme Christiani orbis. Passim ibidē videas e-
 jusmodi perfidiæ loca, amentia receptacula, impietatis domos,
 (Synagogas dico) ut de suo hoc *B. Ambrosius* largiatur *Epistola ad*
Theodosium Imperatorem. Quod quatenus bene fiat Deoq; sit gratum
 Theologis discutiendum relinquo. Animus enim est Philologica
 saltem hic attingere. Fusius hac de re *Beatus Lutherus* t. 5. Witt. f.
 439. *Dn. D. Gerhardus* L. C. de Mag. f. 636. *Dn. D. Mullerus* *Judæis*
 p. 1414. aliiq;

V. (β) Ju-

Q. 11
223

V. (B) *Judæi*. Horum enim erant *Synagogæ*, in his conveniebant sed diversimode. Præced. prolixius monstravimus *Synagogas* in urbe Sancta non solum, reliquisq; *Judææ* civitatibus, sed & in exteris quoq; regionibus exstructas fuisse. *Synagogæ* igitur [si urbem sanctam excipias) in *Judæa* *Galilæa* remotioribusq; provinciis, ubi *Ebræi* gentilibus mixti degebant, incolarum causa ædificabantur, utpote quibus templum adire incommodum, ibiq; semper legi operam dare, aut *DEUM* placare precibus: *Jerosolymitanæ* è contra peregrinorum, si non tantum, quod *Scultetus* (L. 2. Exercit. p. 40.) & *Sigonius* (l. 2. c. 8. p. 86.) volunt, præcipue tamen, usui erant destinatae, quas ut plurimum ædificaverant ipsi ibique conveniebant, ut *DEUM* precibus colerent & legem divinam addiscerent. Hinc factum fuisse modo adducti auctores memorant, ut in hac celeberrima metropoli *Synagoga peregrinorum essent, templum civium*. Quæ verba sane cum salis grano accipi debent. Ut enim jam non disputem, annon ipsi *Jerosolymitani* cives propriam vel *Synagogam* aut *Synagogas* habuerint? (neq; enim eam controversiam meam facio. *Beatus Gerhardus* tamen eo inclinatur p. 3. *Harmon:* p. 99. c. 178.) certe hoc *Sigonij* & *Sculteti* effatum adeo exclusive intelligendum non est, ac si nusquam templum promiscue frequentaverint peregrini, sed quod insuper & ordinaria loca distinctaq; ædificia habuerint, ubi cætus ejusmodi particulares religionis causa congregarentur. *Act. VI. cap.* quidam de *Synagoga Libertinorum, Cyrenensium, Alexandrinorum* disputasse cum *Paulo* leguntur, qui certe non originarij cives *Jerosolymitani* erant sed *Judæi* peregrini pietatis causa ad tempus ibidem viventes. Uti autem in *Ecclesia Christiana* duplex potissimum hominum genus deprehenditur, docentium unum, discientium alterum & auscultantium: ita & idem apud *Judæos* fuit observatum, usiq; receptum. *Lex Moïsi* cum *Prophetis* in *Synagogis* prælegebatur & explicabatur non à quibusvis, sed certis ad id singulariter electis personis. Unde per se fuit homines fuisse in *Synagogis* & qui docerent & qui discerent, qui prælegeret legem *DEI* publice exponerentque, quiq; auditorum partibus defungerentur & auscultarent. Auditores vidimus. Docentes, quos scribas fuisse cum primis affirmamus, alio tempore considerabimus. Chartarum enim angustia hac vice prohibet legumq; observantia.

SOLI DEO GLORIA.

1077

Q.N.
44,
38.

SY

VE

EXE

M. CHR




GIS

EO.

LO.

ori

NITIUS



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

Kodak
LICENSED PRODUCT
Black

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

